Premia nulla peto nisi te. cape pignus amoris
Purpureum crinem nec me nunc tradere crinem
Sed patrium tibi crede caput. scelerataque dextra
Munera porrexit. Minos porrecta refugit
Turbatusque novi respondit ymagine facti
Di te submoveant o nostri infamia secli
Orbe suo. tellusque tibi pontusque negetur.
Certe ego non patiar iovis incunabula creten
Qui meus est orbis. tantum contingere monstrum.
Dixit. et ut leges captis iustissimus auctor
Hostibus imposuit. classis retinacula solvi
Iussit. et eratas impleri remige puppes
Scilla freto postquam deductas nare carinas
Nec prestare ducem sceleris sibi premia vidit.
Consumptis precibus violentam transit in iram.
Intendensque manus sparsis furibunda capillis
Quo fugis exclamat meritorum auctore relicto.
O patrie prelate mee. prelate parenti
Quo fugis immitis. cuius victoria nostrum
Et scelus et meritum est. nec te data munera nec te
Noster amor movit. nec quod spes omnis in unum
Te mea congesta est. Nam quo deserta revertar.
In patriam. superata iacet. sed finge manere.
Proditione mea clausa est michi. patris ad ora
Quem tibi donavi. cives odere merentem.
Finitimi exemplum metuunt. obstruximus orbem
Terrarum nobis. ut crete sola pateret.
Hanc quoque si prohibes. et nos ingrate relinquis.
Non genitrix europa tibi est. sed inhospita sirtis.
Armenie ve tigres. austroque agitata caribdis.
Nec iove tu natus. nec mater ymagine tauri
Ducta tua est. generis falsa est ea fabula. verum.
Et ferus et captus nullius amore iuvence

Nota in ista parte positis legibus illis propositis a mynoe ponit auctor qualiter mynos discessit conquerelam quam fecit scilla contra mynoem quare noluit ipsam excipere

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1664/0180
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG